

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.



1668.

1. Bredero, Bartholomaeus: De numero, quem Plato rebus p[ublicis] fatalem statuit.
2. Cramerus, Martinus Zacharias: De artis excellentia
3. Eckolus, Amatus: De jure statutatio vulgo statuto.
4. Eckolus, Amatus: De affectione juridica.
5. Eckolus, Amatus: De Publiciana.
6. Eckolus, Amatus: De jure sequelae. vulgo Folge oder Zug.
7. Heingius, Sergius: De thesauris.
8. Hekehus, Joh. Fried: De licentia d[omi]ni, foveis oscula admittere
9. Locher, Tractius Albertus: De subscriptione
10. Meyerus, Jo. Ulricus: De quaestionibus.
11. Menckelius, V[er]o: De acquisitione originaria juris in personas.

1668

12. Maelius, Titius, fac. jur. proconcellarius & Lecturis
salutem / Programma, quo ad actum sollemnem Gottho-
fredi Shuri, Martini Zachariae Crameri et sequen-
tium invitatur

13. Wllyschus, Fridericus: De repressaliis

14. Romanus, Paulus Franciscus: De Quasi-Societas

15. Romanus, Paulus Franciscus: De pactis

16. Romanus, Paulus Franciscus: De praescriptioni-
bus.

17. Romanus, Paulus Franciscus: De cambis

18. Romanus, Paulus Franciscus: De dardanariis

19. Romanus, Paulus Franciscus: De venatione

20. Romanus, Paulus Franciscus: De calculo Minervae.

21. Romanus, Wilhelmus: De amore

22. Schacher, Christianus: De hereditate familiae

judicio.

1668

23. Schreyffleischius, Amicus Saund: De induciis
24. Schreder, Haurius: De dominio eminente
25. Sreudentaerferus, Bartholomaeus Leonhardus: De esse-
curatione.
26. Sreudentaerfferus, Bartholomaeus Leonhardus:
De cessione bonorum.
27. Sreudentaerfferus, Bartholomaeus Leonhardus:
De usucapione pro herede.
28. Sreudentaerfferus, Bartholomaeus Leonhardus:
De iuribus
29. Sreudentaerfferus, Bartholomaeus Leonhardus:
De jure vasalli reali.
30. Sreudentaerfferus, Bartholomaeus Leonhardus:
De comminatione
31. Sreudentaerfferus, Bartholomaeus Leonhardus:
De confessione in judiciali.
32. Sreudentaerfferus, Gorgius Tobias: De mortis
causa donationibus.

1688

33. Schreindersverfereus, Georgius Tabies : De compa-
sione obligationum.

34. Tellerus, Romanus : De obligatione filiorum in
fundo.

~~XLIX.~~ 434.

1668, 10

B. C. D.

DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

QVÆSTIONIBUS

Decreto

JCtorum Lipsiensium

PRO LICENTIA

Honores Doctorales consequendi,
solenniter exhibita

M. JO. ULRICO MAYERO,
Lipsiensi.

d. 20. Februarij, A. O. R. M DC LXVIII.

LIPSIÆ

Typis JOHANNIS GEORGII.

Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Consul-
tissimis atq; Prudentissimis

DOMINIS

DN. CHRISTOPHORO MARCI, Jcto,
Illustriss. Principis Saxoniae CHRISTIANI &c. &c. &c.
à Consiliis intimis, Scabinatus Lipsiensis Seniori &
Supremi Dycasterii Provincialis Asses-
sori gravissimo,

DN. CHRISTIANO LORENZ
ab Adlershelm/Sereniss. Electoris Saxoniae à Consiliis Ca-
meræ, Reipubl. Lipsiensis Consuli, & Scabinatus e-
jusdem Assessori longè meritissimo,

DN. HEINRICO BECKEN
in Nischwitz/Bömitz & Denitz Hæreditario, Reipubl.
Lipsiensis Edili spectatissimo,

Mœcenatibus maxumis

Felicitatem omnigenam
precatur

Cultor

observantissimus

M. Jo. ULRICUS Mayer/
Lipsiensis.

Non existimo, **VIRI** Magnifici atqve
 Nobilissimi, causam hic mihi prolixè orandam, cur
 in Dissertationis hujus Inauguralis fronte Nomina
VESTR A locare nullus dubitaverim. Cum enim **VOS**
 in honorum fastigio constitutos, tanquam Patronos reve-
 reri voluerit Divini Numinis benignitas; grande sit pia-
 culum, me hujus parum memorem, omittere occasionem,
 quâ **VOBIS** cultum & observantiam aliqua ex parte o-
 stendere queam. Ab hoc animo profectum est, quod hunc
 ingenii mei foetum in sempiterni cultus & obsequii ar-
 rhabonem **NOBILITATIBUS VESTRIS** con-
 secratum iverim. Vestrum erit, **PATRONI MAGNI**,
 chartaceum hoc munus benignò vultu affectuq; suscipere;
 quod quidem si aut pretio sui, aut **VESTR A** Dignitate
 aestimetur, vile & exiguum est; si animo, magnum judica-
 bitis. Deus **VOS** sibi, **VOBIS**, **VESTRIS** mihiqve
 servet in metas, quas Veterum definitio dedit seculo.
 Perscriptum Lipsiæ d. XIIX. Februarii, A. O. R.
M DC LXVIII.



JOVA JUVA!

P R O O E M I U M.

AD conservationem Reipubl. benè constitutæ, Politici inter alia etiam requirunt, ut Justitia ab imperantibus & magistratibus contra delinquentes rectè exerceatur. Non minus enim utile est Reipubl. virtutum & benemeritorum exempla præmiorum accendi promissione, quam improbos formidine prohiberi pœnarum, *Besold. Colleg. Polit. Class. 2. Disp. 2. th. 3.* Nec omni ex parte arcanum illud Bodinianum omnibus probatur, quod scil. ad benevolentiam subditorum; erga Reges & Principes, plurimum valeat, à Principibus omnia præmia, largitiones, honores, magistratus & imperia proficisci, à Magistratibus verò pœnas & supplicia irrogari; Hòc pactò enim alterum Principis officium, quod in puniendo consistit, abdicaretur, & impunitas delictorum nova delicta atq; litigia crearet, *vent. de Valent. in parthen. litig. L. 2. c. 10. n. 9. Carpz. Praxi Crimin. P. 3. Q. 101. n. 7.* Nisi enim, inquit, *Guevara Horolog. Princ. tom. 3. p. 242.* parata erroribus flagra, blasphemis forcipes, perjuris equulei, veneficis ignes, homicidis gladii, furibus patibula, seditiosis carcer esset, plures in civitate fures & improbi, quam in Sylvis bestia forent. Id ipsum & Juris Civilis sanctio requirit; Hoc etenim vult *Julianus in L. 51. §. f. ff. ad L. Aquil. & Paulus in L. 4. §. 2. ff. de noxal. action. ut & Cajus in L. 18. §. 1. ff. de judic. ne scil. delicta* maneant

PROOEMIUM:

maneant impunita, cum hoc Reip. interfit, *L. 13. in pr. ff. de offic. Praesid.* Cum enim facinorosi dimittuntur impuniti, lætitiæ & gaudia hominum contaminantur, *L. 3. C. de episc. audient.* Imò & S. Scriptura Magistratui hoc injungit *Exod. 22. Deuteron. 17, 7. Rom. 13.* Et si Magistratus negligens sit in pœnis irrogandis, Deus ipsemet exsurgit, & sæpe ob unius delictum in universum irascitur populum, uti hoc ex multis Scripturæ locis deducit *Carpzov. allegat. loc.*

Cum verò sæpissime contingat, ut verus commissi criminis autor ignoretur, pleraq; pvippe crimina clam & secretis perpetrantur arbitrîs, atq; ita detectu difficiliora; iudicia tamen adsint, quæ aliquem de commissò crimine valde reddant suspectum: Ideò multi inventi sunt modi, negantem ad confessionem perducere. More itaq; Majorum introducta sunt tormenta, ut per illa veritas exquiratur inquit *Cic. in Part. Orat. c. 117. adde Paul. L. 5. t. 14.* Quem morem innuit ab Atheniensibus & Rhodiis sumptum esse; *Wesemb. Parat. h. t. n. 2.* eumq; antiquissimum & ferè omnium gentium consensu receptum esse, existimat *Zæf. Comm. ff. h. t. n. 1.* De hac quotidianâ itaq; ac satis difficili materiâ Positiones aliquas publicò jam Eruditorum sisto examini; Faxit D. O. M. ut omnia cedant, ex antiquâ votorum formulâ, **FELICITER.**

Sit itaq;

A 3

POSI-

DISPUTATIO INAUGURALIS

POSITIO I.

Vocabulum Quæstionis variis modis accipitur.

EXPOSITIO.

ANtequam enim Quæstiones & Torturam ipsam aggrediamur, vocabulum Quæstionis prius lubet explanare. Dictæ autem sunt Quæstiones à quærendo, inquirendo, explorando, investigando & planè ab eruendâ veritate, *L. 1. pr. junct. L. 8. pr. ff. h. t.* Verum h. l. specificè, & cum majore emphasi quam alibi, denotant interrogationem non nudam, *L. 15. §. 41. ff. de injur.* sed per tormenta elicitam, *d. l.* Variè etiam accipitur vocabulum Quæstionis, (1) enim dubitationem denotat, quæ ex jure aut factò oritur, ut in *L. 2. §. f. ff. de Donat. L. 1. §. 1. ff. quæ res pign. l. hypoth. L. 1. §. 4. ff. ad Sc. Turpillian.* (2) accipitur pro Judiciò publicò, ut quando Cornel. Sylla quæstiones publicas, h. e. publica judicia instituisse dicitur in *L. 2. §. 32. ff. de O. J.* Talis fuit quæstio de vi Cn. Domitii prætoris, de quâ *Cic. in Milon.* (3) & propriè quæstio significat interrogationem quæ fit per tormenta corporis; & hæc significatio genuina ac hujus loci propria est, quomodo etiam accipitur in *d. l. 15. §. 41. ff. de injur. L. 23. §. 4. ff. de L. Aquil. L. 1. §. t. t. ff. C. de quæstionibus.* Facili negotio inde licet colligere, propriè & accuratè loquendo quæstionis & torturæ vocabula à se invicem differre; Quæstio enim, ipsa tortura non est, sed per torturam, tanquam medium eruendæ veritatis expeditur ac perficitur. Hinc malè hæc duo à Dd. confunduntur, cum tortura sit quæstionis pars quædam ipseque actus torquendi & cruciandi Reum; Quæstio autem interrogatio Rei per tormenta, id quod innuit etiam Ulpianus in *d. l. 15. §. 41. ff. de injur. verb. per vim & tormenta habita quæstio est, L. 9. pr. ff. h. t. v. per tormenta licet habere quæstionem, L. 10. & 12. C. h. t. ibi, per tormenta interrogari & c.* *Heinr. Bocer. in Tract. de Quæst. & Tortur. c. 1. num. 12. Dn. Tabor in eod. tract. de quæst. c. 1. num. 12. Carpz. Pract. Crim. P. 3. Qu. 117. n. 15.* Comuni tamen loquendi usu irrepfit, ut invicem confundantur, quò respectu etiam quæstio

in

DE QUÆSTIONIBUS.

in vernacula dici solet: Die Peinliche oder scharffe Frage. Vocatur quoque Quæstio nonnunquam corporis dolor, *d. l. 15. §. 41. mala mansio L. 7. pr. ff. depos. strictior inquisitio, L. 3. C. ad L. Jul. Majest. se- vera indagatio, L. 10. C. de dignit. & quæ similem in modum legenti occurrunt, germanicè Folter/Peinliche Frage/Marter/Pein/te.*

POSITIO II.

Describitur Quæstio, quod sit interrogatio de crimine commisso, per corporis tormenta, ad eruenda veritatem, à Judice legitimè instituta.

EXPOSITIO.

Varias Quæstionis Definitiones tradunt Dd. *Sigonius L. 2. de Judic. c. 14.* existimat, Quæstiones esse testimonia servorum, & vi tormentorum expressa: Hæc verò non sapit *Cujacio in Pat. h. t.* proinde aliam affert, quod scilicet sit interrogatio per tormenta facta de Reis vel his qui factò intervenisse dicuntur; & hæc cum nostrâ quandam habet cognationem. Dicimus autem quod sit interrogatio; Hoc enim genus ipsi Juris nostri Autoris Quæstioni tribuunt in *cit. L. 15. §. 41. ff. de injur. L. 1. §. 21, 22. ff. h. t. L. 17. pr. ff. eod. de crimine commisso, nisi enim prius constet admissum esse crimen, cessare debet Quæstio, L. 1. §. 24. ff. de scô silan. antequam enim de crimine constat, manus Judicis ligatæ sunt inquit. Hippol. Marsil. Conf. 8. Vol. 2. Ernest. Cothman. Resp. 12. n. 17. per corporis tormenta, sæpè alleg. L. 15. §. 41. ff. de injur. L. 1. §. 1. §. 7. 23. ff. h. t. unde nuda interrogatio & levis territio hujusmodi quæstio non est, sed cum per vim ac corporis tormenta quæstio habetur, tunc hæc quæstio intelligitur, *d. l. 15. §. 41.* ad eruendam veritatem, his verbis causa finalis quæstionum explicatur; ad solam enim eruendam ac indagandam veritatem quæstio adhiberi debet, *L. 10. & 13. C. h. t.* hinc, si veritas aliunde explorari ac investigari possit, puta per testes vel instrumenta, quæstio cessare debet, *L. 8. pr. L. 9. ff. L. 12. C. h. t.**

addi-

DISPUTATIO INAUGURALIS

additur præterea in Definitione, à Judice legitimè instituta; Judex etenim secundum legis præscripta quæstionem habere debet, non in omni causâ nec in omni personâ, *L. 8. pr. ff. h. t. L. 10. S. 3. ff. eod.* utq; corpus Rei saluum sit vel innocentia vel supplicio, *L. 7. ff. d. t.*

POSITIO III.

Species Quæstionis principales de moribus hodiernis sunt hæ: Territio & Tortura ipsa; quarum illa in verbalem & realem, hæc verò in tres gradus dispescitur.

EXPOSITIO.

IN gradibus Torturæ constituendis quam maximè variant Dd. *Jul. Clar. L. 5. Sent. S. f. qv. 64. n. 31. & Paul. Girland. tract. de qv. & tortur. qv. 4.* quinque faciunt Torturæ genera: Primum, quod in solis de torturâ minis positum; Secundum, quod in deductione Rei ad locum torturæ; Tertium, quod in vestium depositione & ligaturâ; Quartum, quod in ipsâ Rei elevatione; Quintum, quod in quassatione (uti loquuntur Dd.) consistit, cum Reus, dum elevatur per carnificem movetur ac concutitur. Alii verò cum *Bosio t. de tortur. n. 16.* tres tantum gradus enumerant, quorum primus est terrere; Secundus est ponere & interrogare in tormentis, quod ipsum est elevare & in suspenso tenere Reum per aliquod notabile spatium; Tertius verò est torquere, cum scil. Reus, dum ita pendet, quassatur; id quod Itali dicunt, Reo quassum dare, ut cum tortor semel atq; iterum, ex arbitriò Judicis, ictum acriter impingit funi ex quo Reus dependet, *Jac. Nov. in Pr. & Theor. Causar. Crim. p. 110.* Sed his missis, cum *B. Carpz. in Pract. Criminal. P. 3. Q. 117. n. 46. seqq.* duas tantum Quæstionis species principales, de modernâ consuetudine agnoscimus, scil. Territionem & Torturam ipsam. Territio, quæ tantum minas per carnificem de Reo torquendo continet, iterum duplex est vel nuda, vel realis. Nuda
f. ver-

DE QVAESTIONIBUS.

f. verbalis territio, germanicè das blossè Vorstellen/nihil est aliud, quam simulatio quædam carnificis nuda de torquendo Reo, absq; omni tactu & apprehensione ejusdem, dum solummodo carnifex verbis & gestibus severioribus & ad torquendum consuetis in inquisitionem irruit, non aliter, ac si illum torquere vellet; Et hæc proprie torturæ species non est, cum non in corporis cruciatu & dolore, ut tortura consistat, L. 15. §. 41. ff. de injur. Bocer. d. tr. de quest. c. 5. n. 24. & in sententionando hisce verbis innuitur; Den Gefangenen dem Scharffen Richter fürzustellen/und durch denselben/als solte und wolte er ihn angreifen/ iedoch aber unangegriffen/in gutem befragen zu lassen. Realis territio vocatur, quando præter minas carnifex quoque manus apponit, & quale quale initium torturæ facit, Reiq; corpus leviusculis tormentis affligit, utputa si ipsum vestibus denudet, ad scalam ducat, tormenta in conspectum ejus ponat, forcipes digitorum, die Daumenstöcke/ affigat, & pollices aliquatenus comprimat, vocatur das Vorstellen mit den Daumenstöcken und Schnüren/ & hisce decerni solet formalibus: Den Gefangenen dem Scharffen Richter fürzustellen/das er ihn mag ausziehen/entblößen/zur Leiter führen/die gewöhnlichen Instrumenta fürzeigen/und da es nöthig/die Daumenstöcke anlegen/oder mit den Schnüren anfangen. Adhibetur hæc territio cõ præcipuè in casu, quum Reus jure tormentis interrogari prohibetur, ut si impubes sit, L. 1. §. 33. ff. de scro silan. Quod Torturam ipsam concernit, ejus tres à B. Carpzov. constituuntur gradus: Primus est, quando adhibitis funiculis cruciantur Rei, utputa cum manus illorum arctissimè constringuntur, fit etiã adhibitis pedicis manicisve ferreis, vel forcipibus digitorum: Indicatur in pronuntiando: Das Inquisit mit peinlicher Frage/iedoch gelinder weise zu belegen. Secundus gradus dicitur, quando præter tormenta priora Rei scalæ subjiciuntur, & violentã quãdam expansione omnium membrorum articuli distinguntur & dilacerantur, exprimitur h. m. Den Gefangenen mit der Scharffen ziemlicher massen anzugreifen. Tertius tandem est, quando præter expansionem admittitur adustio Rei candentibus luminibus, vel sulphure,

B

phure,

DISPUTATIO INAUGURALIS

phure, vel igni corpori injecto aut aliis modis: Significatur omis-
sis verbis: nemlicher massen/hilfse formalibus: Den Gefangenen mit
der Schärffe befragen zu lassen. Plura de his, ut & variis tormento-
rum speciebus ac modis torqvendi vide apud *Jodoc. Damhoud. Praxi
Crimin. c. 37. n. 18. seqq. Zanger. tract. de quest. & tortur. c. 4. num. 10.
Bocer. d. tr. c. 5. & Carpz. cit. loc. ex quò pleraq; huc retulimus.*

POSIT. IV.

Quæstiones & Torturam nonnulli damnant &
detestantur.

EXPOSITIO.

INter quos reperiuntur non solum Theologi, ut post *Augustinum de
Civit. Dei l. 19. c. 6. Mayfartus c. 17. p. 134.* (plures etiam imprimis ex
Svecicis Theologis eam ob causam laudat & adducit *Loccen. in Sy-
nopf. Jur. Sacr. p. 604.*) sed & Jcti non infimi nominis, quibus & *Wis-
senb. P. 2. Disp. Pand. 36. th. 13.* ut & *Wesenb. in Oeconom. Jur. h. t.* (quis
diabolicum remedium, ad excarnificandos homines inventum,
quæstiones appellat) veniunt annumerandi. Horum argumenta,
itaqve quid roboris in se contineant, paucis videbimus. Ajunt (i.)
Justitiæ & æqvitati naturali parum esse conveniens, ut quis crucietur
de cujus crimine non liqueat. Ast, geminum in hõcce argumentõ
committunt errorem; Majori etenim obest Juris Canonici Regula,
eam limitans h. m. ne quis crucietur sine culpâ, aut certè non sine
causâ, *can. 23. de R. J. in 6to. tum & in Minore falsò supponitur, ali-
quem sine causâ aut magnâ ratione ad torturam trahi, contrarium
enim paulò post dabimus demonstratum, vide L. 8. ff. h. t.* Alte-
rum illorum argumentum desumitur ex *L. 1. §. 23. ff. h. t.* ubi ipse Ul-
pianus fatetur, quæstionem esse rem fragilem, periculosam & quæ
sæpe veritatem fallat. Sed Resp. in hõc argumentõ continetur fal-
lacia à dictõ secundum quid ad dictum simpliciter; Non enim sim-
pliciter hoc ipsum de quæstionibus Jura pronunciant, quin potius
efficacissimam inqvirendæ veritatis rationem eas esse perhibent in
L. 8. ff. h. t. verum, tum esse rem fragilem tormenta, asserunt, si quis

his

his solis inniti velit, non suppositis legitimis iudiciis & argumentis, *L. 1. pr. ff. h. t.* Idem certè prædicatur de Juramento, (tanquam animæ tormento) quod scil. illud propter quorundam ad jurandum facilitatem fragile sit & periculosum remedium, nempe si minus circumspèctè adhibeatur, *L. 8. ff. de condit. instir.* interim manet Juramentum efficacissimum inquirendæ veritatis remedium, si Requisita Legis observentur, *L. 3. pr. & §. 1. ff. de Jurejur.* Tertium argumentum, quod satis speciosum illis videtur, desumunt ex *L. pen. ff. h. t.* ubi generaliter prohibita videntur quæstiones, cum nemo quæstionis habendæ causa damnari debeat. Ridet *Cujac. in L. 216. ff. de V. S.* hæsitacionem *Glossæ*, quod ad hoc dubium non confestim respondeat, & hoc velle *Hadrianum* existimat, neminem esse damnandum, ut tormentis enecetur, cum quæstiones non ad puniendos homines, sed eruendam veritatem fuerint adinventæ; quam conciliationem etiam sequitur *Salis in Sicil. Jur. ad d. l. itemqve Meier. C. J. A. h. t. th. 20. ut & Petr. Faber 2. Semestr. c. 8.* Hæc tamen responsio adeò probabilis non videtur, propterea, quod in *d. l. pen.* non dicatur: Neminem esse damnandum ut tormentis puniatur vel enecetur, sed hoc tantum: Neminem esse damnandum quæstionis habendæ causâ, si ut tormentis veritas ab eò exquiratur; Rectius itaq; inhærendum hic esse putamus expositioni *Glossæ*, quæ iterum distingvendum esse docet inter legitimam damnationem & illegitimam (i. temerariam, quæ scil. fit absq; legitimis iudiciis ac requisitis, & ubi initium processus fit à torturâ Servorum, quam conciliationem pluribus deducit *Dn. Tabor in cit. tr. de quæst. & tortur. c. 2. n. 10.* Ad reliqua contraria jam properandum; Et quarto opponunt *Nov. 134. c. 13.* ubi Justinianus vetat irrogari supplicia, quæ membra & articulos dissolvunt; Sed Resp. confundi h. l. finem pœnæ cum fine eruendæ veritatis. Vetuit Justinianus in finem & usum pœnæ articulos dissolvi, non autem vetuit torturam membrorum legitimò inferri modo. Ultimum deniqve argumentum ita concipitur. Deo in V. T. non placuisse hoc genus inquirendæ veritatis, E. nec à nobis illud recipiendum; Resp. Deo placuisse in N. & V. T. remedia homogenea, v. g. potum amarum

DISPUTATIO INAUGURALIS

ac maledictum Num. 5, v. 20. Imò aliquoties Quæstionum in S. S. mentionem fieri, ut *Esth.* 11, v. 7. *Luc.* 23, v. 14. *Act.* 12, v. 19. imò & Tortorum vocabulum invenitur *Matth.* 18, v. 34. Totum itaq; genus Torturæ Deo improbatum non est. Certè, qui *Deuter.* 17, v. 4. Judices monet diligenter in scelera perpetrata inquirere; Ille modum inquirendi congruum improbare non videtur; confer *Bachov.* ad *Tr. V.* 2. *D.* 31. *th.* 5. *lit.* e. & *Dn. Tab. alleg.* loc. n. 13. *Hahn.* *Not.* ad *Wesenb.* h. t. n. 2. *Besold. Thes. Pract.* verb. *Peinliche Frage.*

POSIT. V.

Potestas torquendi Reum ei competit qui habet merum Imperium.

EXPOSITIO.

Quoad hanc quæstionem non usquequaque consentiunt Dd. Etenim *Bartol.* *Jason.* *Decius.* *Zasius* & alii Veteres Interp. in *l. b. m.* *Repet. L. 3. ff. de Jurisd.* ferè distinguunt inter causas civiles & criminales: In illis quæstiones adscribendas esse Jurisdictioni simplici, in hisce verò merò Imperiò. Hanc sententiam rejicit *Obrecht.* *L. 2. de Jurisd. c. 8. n. 15.* constituens: Torturam, æquè in causâ criminali ac civili, mixtò Imperiò esse annumerandam, quod ea omnia mixti Imperii esse censeantur, sine quibus vel in causâ criminali vel civili Jurisdictio explicari nequit, *L. 2. ff. de Jurisdic.* At in casu, quò Reus plenè convictus non est, sed indicis tantum gravatus, tortura adhibetur ut Judex veritatem cognoscat, *L. 8. C. h. t. E.* quia quæstio ad cognitionem causæ pertinet, referenda erit ad mixtum Imperium. Recentiores verò indistinctè tradunt Quæstiones esse meri Imperii, *Bocer. d. tr. de tortur. c. 1. n. 13.* *Franc. Brun. tr. de indic. & tort. p. 2. qv. 7.* *Carpzov. P. 3. Qv. 117. n. 21.* *Jac. de Bellovisu in Pract. Crim. L. 3. c. 14.* *Gail. L. 2. de P. P. c. 2. n. 16.* moti his rationibus: tum quod magistratibus, qui habent tantum Jurisdictionem simplicem, severiores quæstiones interdicanter in *L. 5. C. de defensor. Civit.* tum etiam, quod quæstio dicatur accessio causæ criminalis in *L. 8. ff. h. t.* ut ergò causa criminalis est meri Imperii.

DE QVAESTIONIBUS.

rii, L. 3. ff. de Jurisd. ita & qvæstio, cum accessorium sequatur suum principale, L. 178. ff. de R. J. Cui ergò Judici merum competit Imperium, h. e. potestas animadvertendi in facinorosos publicæ vindictæ causa, die Höhe Obrigkeit / die Ober- und Hals-Gerichte / eisdem qvòq; competit Jus Reos torqvendi. Nil facit Obrechtii argumentum, cum tortura non pertineat ad executionem, (adeoqve nec ad mixtum Imperium, quod in potestate exeqvendi Jurisdictionem in causis civilibus consistit,) sed potius ad explorationem & cognitionem criminum, *Dn. Tabor d. tr. c. 3. n. 6.* Nec movet, quod etiam in civilibus ac pecuniariis causis quandoqve locus sit torturæ, L. 9. pr. ff. & L. 10. 13. C. h. t. adde L. 21. §. 2. ff. de testib. Resp. *Bocer. d. l.* hisce personis, in cit. LL. ideò absq; qvæstionibus fidem non haberi, quod contumaciter & obstinã suã malitiã ac pertinaciã reticere veritatem intelligantur, *Novell. 90. c. 1. §. 1.* Ad istam itaq; malitiam & contumaciam coercendam tormenta admoventur. Aliter Resp. *Carpzov. cit. loc.* sc. tum demum in causis civilibus ac pecuniariis ad torturam deveniri, quando illæ turpitudinem quandam in se continent & crimen annexum habent, quo casu non tam pro civilibus quam criminalibus causis erunt habendæ, consentit *Paul. Girland. tr. de qvæst. & tort. qv. 3. n. 2. Hippol. de Marsil. ad L. 9. ff. h. t.*

POSIT. VI.

Anteqvam ad Torturam procedatur, Judex varia Reqvista observare tenetur.

EXPOSITIO.

Qvanam autem sint illa Reqvista, paucis dabimus expeditum. Primò autem locò constare debet Judici crimen de quo qværitur, certò esse admissum, L. 1. §. 24. ff. de Scto Silan. L. 1. C. ubi cause fiscal. P. N. S. Art. 6. Ratio hujus Reqvisti aperta est, scil. quod ubi Lex disponit resp. rei certæ, prius de ipsã re constare debet, L. 24. ff. de testam. milit. & qui vult probare qualitatem, prius probare debet substantiam, in qua qualitas illa fundatur, *Bocer.*

DISPUTATIO INAUGURALIS

d. tr. c. 3. n. 3. Ant. Perez. in Comm. C. h. t. n. 1. Zæf. Comm. ff. h. t. num. 3.
 Deinde, quia ineptum esset quærere de circumstantiis delicti, puta, personis, locò tempore &c. priusquam constet de ipsius delicti veritate, *L. 16. §. 1. ff. de pœn.* Nec sufficit constare de corpore delicti præsumptivè & per conjecturas, sed plenè & liquidò per sensum corporis, si scil. delictum sit facti permanentis, quod oculis subijci possit, ac vestigium aliquod post se relinquat. Si verò delictum sit facti transeuntis ut adulterium Sodomia, Hæresis &c. tunc satis est ex indiciis sufficientibus de corpore delicti sive factò constare, ut de personâ quæstio instituat, *L. 5. §. 6. ff. de re milit. P. H. D. Art. 6. Bocer. d. l. Zanger. in præfat. d. tr. de tort. num. 35. Carpz. P. 3. Qv. 119. num. 61.* Eandem exceptionem & de Latronibus tradit *Franc. Casen. tr. de indic. c. 2. num. 9.* cum isti cadavera peremptorum hominum abscondere & vel in flumina aut mare projicere soleant. Secundum, **Requisitum**, quod continetur in *L. 8. & 9. ff. & L. 12. C. h. t.* est defectus aliarum probationum, quæ fiunt per testes vel instrumenta, ut scil. veritas aliter erui non possit, quam per quæstiones tanquam in subsidium, *Carpz. d. Qv. 119. num. 64.* Et sanè; cum tortura tantum sit subsidiaria & extraordinaria probandi ratio, & quidem satis periculosa, *L. 1. §. 24. ff. h. t.* hinc ad eam deveniendum non est, quando vel per instrumenta vel aliò modò ordinariò veritas haberi potest, *d. l. 12. C. h. t. Bocer. d. c. 3. num. 13. Jodoc. Damhoud. in Praxi Crimin. c. 35. num. 2. 3. Perez. in Comm. C. h. t. n. 2. Zæf. Comm. ff. h. t. num. 4.* Tertium **Requisitum** consistit in atrocitate criminis perpetrati; Requirit enim Augustus in *L. 8. ff. h. t.* ut maleficia sint capitalia & atrociora *P. H. D. Art. 8. pr.* Ratio dari potest ista, ne alias quis gravius puniretur ex modo probandi quam ex modò condemnandi; & absurdum esset gravius decerni adversus ambiguum innocentiam, quam decernitur, in crimen convictum, *Perez. cit. loc. num. 1.* Imò cum tortura, corpus laceret & ipsâ fermè morte durior sit, uti cum *Dd. tradit Wesenb. h. t. num. 5.* meritò in delictis non capitalibus tortura excluditur, vide *Carpz. d. Qv. 119. num. 9. Habn. Not. ad Wesenb. h. num. 5.* Quænam autem delicta dicantur atrociora, quæve levia, mirè vari-

ant.

DE QVAESTIONIBUS.

ant Interpp. prout videre est apud Bocer. d. tr. c. 2. num. 2. adeo, ut hanc rem Judicis arbitrio relinqvendam esse existimet Franc. Brun. d. tr. de tortur. part. 2. qv. 3. Sed rectius cum D. Carpz. cit. loc. atrocita pariter ac capitalia dicuntur illa crimina, ubi poena mortis vel corporis afflictiva imponitur. Excluditur itaqve poena Relegationis, Carceris aut multa pecuniaria, Magnif. Dn. Richter/ Decif. 93.n.4.

POSIT. VII.

Nec absqve urgentibus indiciis tortura decerni potest.

EXPOSITIO.

Portet Judices non a tormentis initium sumere, sed argumentis primum verisimilibus probabilibusqve uti, rescribunt Imp. in L. 8. §. 1. C. h. t. Sub hisce argumentis verisimilibus ac probabilibus comprehenduntur Indicia, qva definiuntur, qvoad sint argumenta delicti perpetrati indicativa sive demonstrativa. Dividuntur a Dd. vulgo in certa, indubitata & gravissima, qvorum unum qvoadve ad qvaestionem habendam sufficit; & in remota, verisimilia & probabilia, qva non nisi aliis adminiculis concurrentibus Reum torturae subicere possunt; qvale est (1) Fama, haec enim non nisi aliis concurrentibus, ad torturam facit indicium, arg. L. 3. §. 2. ff. de testib. Perez. Comm. C. h. t. num. 9. Zaf. Comm. ff. h. t. n. 15. Hinc saepe Facultates Juridicas & Scabinatus interlocutos fuisse testatur Carpz. v. P. 3. Qv. 120. num. 19. anteqvam torturam decernerent: Das man sich zuvor mit Fleiß erkundige / wes Lebens und Wandels Inquisit sey/wie er sich iederzeit verhalten / und ob er des articulirten Verbrechens wegen rüchtig sey oder nicht. Qva verò adesse debeant Requisite, lego apud Ernest. Cothman. Vol. 1. Resp. 12. & Carpz. d. l. n. 21. Jo= doc. Damhoud. Pr. Crim. c. 36. num. 22. 23. (2) Fuga, nam & haec fugientem accusat, P. N. D. Art. 25. §. f. v. Zum siebenden so einer Missethat halber iemand flüchtig wird/ Zang. d. tr. c. 2. n. 86. Wissenb. P. 2. D. 36. th. 9. Zaf. h. t. num. 16. Distingvunt tamen Dd. inter fugam qva fit ante accusationem & inquisitionem; & eam qva fit post accusationem;



DISPUTATIO INAUGURALIS

onem ; priorem, indicium ad torturam facere , secus posteriorem ,
Gödelm. tr. de indic. L. 3. c. 10. num. 14. Cothm. V. 1. Resp. 12. num. 190. quam-
 vis & hoc rejiciat *Carpz. d. Qu. 120. n. 66.* totamque rem prudentis
 Judicis arbitrio committat. 3.) Titubatio animique trepida-
 tio, *L. 10. §. 5. ff. h. t.* Hæc enim Reum conscium arguere videntur,
 criminis commissi, *Jac. Menoch. L. 1. de Præsumpt. qu. 89.* qui tamen
 hoc indicium, nisi graviora concurrant adminicula, haud sufficiens
 esse ad torturam existimat ; Et rectè quidem : Multis enim hoc con-
 tingit duntaxat sollicitis de proprio honore, & metuentibus poten-
 tiam adversariorum, aut asperitatem Judicum, *Clar. qu. 21. n. 38. Po-
 cer. d. tr. c. 3. num. 37. Zanger, d. tr. c. 2. num. 38.* Idem & de vultus mu-
 tatione iudicium esto *Zæf. h. t. num. 36.* 4.) Inconstantia & Va-
 riatio sermonis ; Quando scil. Reus de veritate facti interrogatus,
 variasse & mendacium dixisse fuerit deprehensus ; nam & hæc verifi-
 mile tantum ad torturam facit indicium ; nisi variatio fiat circa ne-
 gotium principale aut circumstantias substantiales, hoc etenim ar-
 bitrio Judicis, an sufficiat ad torturam, nec ne, relinquendum esse do-
 cet *Carpz. alleg. Qu. 120. num. 74.* qui & ibidem, in aliis iudiciis veri-
 similibus evolvendis ac enumerandis, quam maxime est occupatus ;
 sufficiat nobis præcipua proposuisse, Inter certa verò & indubi-
 tata Indicia, Nemesis Carolina primum tribuit locum huic,
 si res aliqua in loco perpetrati delicti reperiatur, quæ demon-
 straretur esse Rei sive delati, *Art. 29. v. g. vagina, gladius, pileus :* Ex
 inventione enim harum rerum præsumitur delictum esse commis-
 sum ab eò cujus res sunt, *Joseph. Mascard. de Probat. Vol. 1. Concl. 830.*
Jac. Menoch, L. 5. Præsumpt. 31. Ant. Perez, Comm. C. h. t. num. 10. Nisi
 accusatus evidentioribus rerum argumentis aut testibus, innocentiam
 suam ostendere, & præsumptionem contra se militantem aliâ
 fortiori elidere velit, v. g. se paulo ante rem istam alii donasse,
 vendidisse aut permutasse ; Hæc enim probatio omninò admitten-
 da est, prout expresse sancitum ab Imperatore in *d. Art. 29. v. 6. Myns.*
Cent. 4. O. 13. Perez. in C. h. t. n. 10. Secundum Indicium ad tortu-
 ram sufficiens est semiplena probatio, puta quæ fit per unum te-
 stem

DE QVAESTIONIBUS.

stem omni exceptione majorem, *Ord. Crim. Carol. Art. 30.* Etenim si per duos testes crimen probatum sit, plena erit probatio ac Reus condemnandus: Quæstio autem in defectum plenæ probationis simul est adinventata: Requiritur verò, ut testis ille juratò deponat testimonium suum de actu immediatò & principali negotio, non de auditu, sed de ipsò visu criminis perpetrati, verbis dilucidis & apertis; & hanc sententiam fovent *Struv. Exerc. 48. th. 100. Menoch. de Præsumpt. l. qv. 89. Rol. à Valle l. cap. 7. Perez. in C. h. t. n. 7. 8. Jodoc. Dombuod. Pr. Crim. c. 36. n. 17. Zæf. Comm. ffor. h. t. n. 13. Hahn. Not. ad Wesenb. h. t. n. 7. Carpz. Qu. 121. n. 10. Dissent. Dd. communiter, ut Cujac. Donell. & Hillig. l. 24. Comm. c. 19. quos sequitur Bocer. d. tr. c. 3. num. 22. & novissimè Wisenb. D. 37. th. 7.* Tertium Indicium est inculpatio Socii criminis, quando Reus convictus, qui Socios criminis habuit, eosdem ritè nominaverit atque detexerit, disponente sic Imperatore in *pr. Art. 31. P. H. D. modò ad minicula & circumstantiæ, quæ præter Rei convicti assertionem desiderantur, atque in d. Art. 31. proponuntur, adsint, quæ brevitatis causâ recensere supersedeo, latius de illis consuli potest Carpz. d. Qu. 121. num. 20. seqq. Zanger. d. tr. c. 2. n. 56.* Quartum Indicium ad torturam præbent Minæ quas Reus jactasse dicitur, tum enim si effectus sequatur, sufficiens inde, adversus minantem, ad torturam oritur indicium, *P. H. D. Art. 32.* Quamvis enim sæpe minus faciant homines qui magna minantur, *arg. c. 4. extr. de V. S. tamen ex personis hominum dicta pensitemus, l. unic. C. si quis Imper. maled. Perez. Comm. C. h. t. num. 21. modò ab his jactatæ fuerint qui exequi eas soliti, ut & post parvi temporis intervallum damnum, quod Reus minatus fuerat, evenerit.* Alia Requisita legere est apud *Carpz. d. l. n. 52. seqq. Zanger. d. c. 2. num. 44. Zæf. h. num. 33. Jac. Menoch. de arbitr. Judic. quæstion. l. 2. Cent. 4. Casu 361.* Refert huc quoque *Carpz. num. 56.* alia Indicia quæ importent Quæstionem, v. g. transactionem Rei cum offensò, auxilium facinorosis præstitum, si quis Reorum causis apertè faveat, & similia. Tantum de Indiciis tum certis tum verisimilibus, & quæ omnibus delictis sunt communia; Progressum jam facere deberemus ad illa Indicia quæ singulis criminibus sunt propria;

C

pria;

DISPUTATIO INAUGURALIS

pria; Sed quia positiones non Commentaria contexere animus; Lectorem ad *Carpz. Qu. 122. per tot. & Bocer. c. 3. per tot.* amicè ablegamus.

POSIT. IIX.

Non omnes indistinctè Quæstionibus & tormentis subjiciendi.

EXPOSITIO.

Quamvis enim Reus de crimine convictus sit, verisimilibus probabilibusq; argumentis, & ad torturam idoneis; non tamen aliter tormentis interrogari debet, quam si personæ conditio illud patiatur, *L. 8. §. 1. C. h. t.* Videndum itaque qualis conditio personas quæstionibus eximat: Hæ autem personæ ad tres classes non incongruè referuntur, excipiuntur enim quidam 1.) ob defectum iudicii, quidam 2.) ob debilitatem corporis, alii 3.) ob dignitatem. Ob iudicii defectum excipiuntur 1.) Impuberes, per *L. 10. pr. ff. de quæst. L. 1. §. 23. ff. de SCt. Silan. Bocer. d. tr. c. 4.* Quamvis hoc non omni tempore procedat, fallit namq; si sint pubertate proximi & indicis violentis urgeantur, *L. 14. ff. de SCto Silan. Cujac. 6. Obs. 22. Bocer. d. l. n. 7.* Per Torturam verò hic territio non excluditur, eam enim expressè concedit Ulpianus in *L. 1. §. 33. ff. d. t.* quod Ulpiani responsum B. *Carpzov. Qu. 118. n. 14.* etiam ad applicationem instrumentorum carnificis ad constringendos pollices, mit *Anlegung der Daumstöcke*/extendit; à quò divortium facit *Tabor d. Tract. c. 5. n. 27.* Impuberibus similes sunt 2.) Furiosi, hi enim non minus ac illi à torturâ sunt immunes, *L. 3. §. 11. ff. de SCt. Silan.* Quærit hinc *Bocer. alleg. loc. n. 10.* An furiosus tormentis interrogari possit de crimine ante furorem commissô? Quod rectius negatur, tum quod omni intellectu careat, *L. 14. ff. de offic. Præs. ut finem quæstionis percipere non possit;* tum quod in omnibus & per omnia absentis locò habeatur, *L. 2. §. 3. ff. de jure Codicill. & mortuo comparetur in L. 14. ff. locat.*

DE QVAESTIONIBUS.

locat. L. 24. §. 1. ff. ratam rem hab. Idem etiam ad illos, qui affectu melancholicò laborant extensum vult *B. Carpzov. d. l. n. 18. & Paul. Girland. tr. de qvæstion. & tort. qv. 6. n. 7.* Ulterius immunes sunt à torturâ 3.) muti & surdi simul, si scil. sint naturâ tales, cum ab his nulla confessio exprimi possit, & pro fatuis habeantur; Sin verò hi literarum non sint ignari, puta quod postea supervenerit istud infortunium, nec tormentis eximendi erunt, tum quod talis propter sanum & plenum intellectum testamenti factionem habeat, *L. 10. C. qui test. fac. poss.* tum quod scriptis interrogari & eòdem modò respondere possit: Idemq; obtinet in surdò vel mutò tantum, is etiam scriptò hic verò voce interrogari potest, ut sub tormentis eòdem modò respondeat, *Zanger. d. tr. c. 1. n. 49. Bocer. c. 4. num. 13.* Hisce verò personis, quæ ob defectum iudicii excusantur, annumerandus non venit Cæcus vel Prodigus. Non iste, quia nec auditus nec loquela ei est impedimento, quo minus de crimine à se commissò interrogari possit; Nec hic, quia prodigalitas per se vitium est & quædam nequitia, quæ aliud delictum commissum excusare nequit, *Carpz. Qv. 118. n. 28.* Arduam vocat *Bocer. c. 4. n. 19.* & illam quæstionem, num minor 25. annis jure torqueri possit? de quò tamen vix dubitandum esse monet *B. Carpz. d. l. n. 29.* in criminibus enim minores ætatis suffragiò non juvantur, *L. 9. §. 2. ff. de minor. qv. in quod impubes nominatim excipiat in L. 10. pr. & L. 15. §. 1. ff. h. t.* aliud itaq; in pubere minore obtinere satis inde evincitur. Porro quidam immunes sunt à torturâ ob corporis debilitatem; Cum enim tortura res fragilis sit & admodum periculosa, quæve plurimum damni affert, præsertim illis qui aliquâ corporis infirmitate laborant, meritò ab eà eximuntur 1) Senes qui ætate defecti sunt, ut loquitur *Jctus in L. 3. §. 7. ff. de scil. Silan.* illi videlicet qui sine præsentis vitæ periculò tormentis interrogari non possunt, ut sentit cum *Dd. Paul. Chirland. d. tr. c. 10. num. 12.* Qui autem dicantur ætate defecti, variè disquirunt *Dd.* Quidam ab anno 60. eam dicunt putant: Alii ad eam perficiendam 70. annos requirunt. Verum cum hòc casu clarâ dispositione Juris destituamur, meritò totam litem Judicis arbitriò relinquimus eum *Jacob. Menoch. L. 2. de arbitr.*



DISPUTATIO INAUGURALIS

bitr. Judic. Quæst. Cent. 1. Casu 59. Non enim satis tutum esset, inquit *Bocer. c. 4. num. 22.* generaliter affirmare à tormentis excusari Senes, cum hâc ratione sæpe numerò versuti Senes præsertim mulieres veneficæ, impunitatem assequerentur. Excipiuntur itidem ob debilitatem corporis 2) valetudinarii, tali morbò laborantes, qui ulterioris cruciatus est impatiens, arg. *L. 7. ff. h. t. L. 3. pr. ff. de Scdò Silan.* Qui verò dicantur tales; docet iterum *Menoeh. alleg. loc. Casu 60.* Differenda itaqve erit Quæstio ad tempus sanitatis recuperatæ, *Carpz. P. 3. Qu. 118. num. 46. Bocer. d. l. num. 23.* Nihil tamen obstat, cur non & hi, æqvè ac Senes, terreri possint, appositis instrumentis quæstionibus Reorum comparatis, *Ant. Gomez. Tom. 3. Comm. c. 13. Zanger d. tr. c. 1. n. 39. Hunn. de Quæst. th. 2. lit. e.* Specialiter item à torturâ exempta reperitur 3.) Mulier prægnans, *L. 3. ff. de pæn. Ratio est in L. 18. ff. de stat. hom.* ut foetus servetur illæsus & salvus; Non enim debet calamitas matris nocere ei qui in uterò est, *pr. J. de ingen. L. 5. §. 2. ff. d. t.* Atqve hoc enunciatum procedit etiam in muliere, quæ novissimè concepit licet enim nondum sit anima, ejus tamen spes est, *L. 2. ff. de mort. infer. Bocer. d. c. 4. num. 26. Carpz. d. l. num. 55.* Nec refert, vulgò conceperit foemina an ex marito suo, ut sentit *Damboud. Pr. Crim. c. 41. num. 7.* Quin etiam mulier puerpera, post partum, intra 40. dies, tormentis non est interroganda, ut post *Gloß. in d. l. 3. ff. de pæn. demonstrat Bartol. ibid. Zanger. d. tr. c. 1. num. 19. Zæf. Comm. ff. h. t. num. 44. Gomez. Tom. 3. Var. Resol. c. 13. ne scil. propter debilitatem mors sequatur, & partus recens natus ob nutrimenti & lactis materni corruptionem ac defectum periret. Licet enim Jure communi pro sanâ habeatur, L. 14. §. 2. ff. de edil. edict. attamen hoc tempus æqvitatibus intuitu ad recuperationem virium videtur concessum, Farin. Pr. Crim. L. 1. t. 5. qu. 42. num. 78.* Imò nec terrore in muliere imprægnatâ locum habet ne, sequatur abortus, *Jul. Clar. Qu. 64. num. 23. Carpz. d. l. num. 62. Perez. Comm. C. h. t. num. 32.* Tandem etiam à Quæstionibus liberantur quidam ob status dignitatem; Et quidem Jure Civili Justinianeo per tormenta non interrogantur Eminentissimi, Clarissimi, perfectissimi, *L. 11. C. h. t. L. 10.*

C. de

DE QVAESTIONIBUS.

C. de dignit. in horum ordine quinam fuerint vide sis Zanger. L. tr. c. 1. num. 22. & Carpz. d. Qv. 118. num. 66. quod mutatâ Reipubl. formâ ad Principes, Comites & Barones extendendum cum Bocer. c. 4. n. 30. & Carpz. d. l. Hisce etiam equestris ordinis homines annumerandi, arg. L. 4. C. ad L. Jul. Majest. quod ad Nobiles producunt Dd. Wesenb. h. t. num. 10. Tabor. d. tr. c. 5. num. 38. ut & ad Doctores & Licentiatos, Zæf. Comm. ffor. h. t. num. 43. tum quod & hi nobiles dicantur, L. 2. §. f. ff. de excusat. tutor. item nobilissimi, L. 4. §. 1. in f. ff. eod. Tiragv. de Nobilit. c. 5. num. 3. & dignitate floreat, c. 3. extr. de magistr. ac inter egregias personas numerentur, Menoch. de arbitr. Judic. quest. L. 2. Casu 7. n. 9. tum quod Doctores Juris militibus comparentur in L. 14. C. de Advoc. divers. Judic. qui â torturâ etiam reperiuntur exempti, L. 8. pr. C. h. t. L. 3. §. 1. ff. de re milit. L. 4. C. ad L. Jul. Majest. ut & Decuriones, L. 11. L. 16. C. h. t. Perez. in C. h. t. num. 33. De Clericis adhuc controvertunt Dd. De Jure Civili quidem tantum Presbyteros cruciatibus fudicularum subdere non licebat, per L. 8. C. de Episc. & Cleric. benè autem cæteros Clericos Auth. Presbyteri C. eod. contrarium tamen consuetudine receptum, Carpz. Qv. 118. num. 99. Bocer. d. c. 4. n. 71. Et tantum de personis privilegiatis. Cæterum, hisce privilegiis nimium fidendum non esse monet Coler. de Process. Execut. Part. 2. c. 3. num. 165. cum infinita, nostris temporibus, delinquentium exempla afferri possent, in quibus ordini & nobilitati non fuerit delatum, sed eodem modò eos ad torturam & carceres ut alios privatos fuisse raptos. Consentit Carpz. d. l. num. 84. Perez. Comm. C. h. t. num. 34. Zæf. h. t. num. 43. Boer. Decis. 163. & alii.

POSIT. IX.

Modum etiam & Finem Qvæstionum Judex
perspectum habere debet.

EXPOSITIO.

Qvod modum concernit, tenendum, ante omnia Reo accusato & legitimis indiciis oppresso, copiam illorum facere debere Judicem, anteqvam ad torturam procedat, eum in finem



DISPUTATIO INAUGURALIS

nem, ut accusatus ea si possit elidat, adeoq; tormenta evitet, suamqve innocentiam tum per se tum per alias deducat. *L. 5. L. 19. ff. de poen. Wesenb. h. t. n. 11.* quod etiam eò in casu procedit, quamvis Reus communicationem non petierit, cum quisq; propriae defensionis renunciare non praesumatur, *P. H. D. Artic. 47.* Datâ Reo copiâ, si indicia ab eò negentur, Judici incumbit ut de eorum veritate inquirat & probationes de Rei innocentia suscipiat, *Carpz. Qv. 123. n. 64.* Si verò indicia illa elidere nequeat, crimen tamen adhuc pertinaciter neget, Judex ad petitionem Actoris diem quaestionis habendæ statuere debet, *P. H. D. Art. 45.* (modò iste dies non sit feriatus, exceptis quibusdam criminibus, in quibus quaestio etiam diebus cultui divino destinatis sumi potest, de quib. agitur in *L. 10. C. de fer. & L. 3. C. de episcop. audient.*) ubi Reus ab ipsomet Judici Praefectò, duobus Assessoribus, nec non Actuariò, praesentibus de spontaneâ confessione & cruciatu eculei serio est interpellendus, *P. H. P. Art. 46.* Modum autem Quaestionis ipsum magis Judicis arbitrio relinquit Ulpianus in *L. 7. ff. h. t. Perez. in C. h. num. 28.* tormenta enim adhibenda sunt, non quanta accusator postulat, sed ut moderatae rationis temperamenta desiderant, *L. 10. S. 3. ff. h. t. & ita haberi debet quaestio, ut Reus salvus sit vel innocentiae, vel supplicio d. l. 7. ff. h. t.* Si plures correi criminis sint interrogandi, initium fiat ab eò, qui suspectissimus est *L. 1. S. 3. ff. h. t.* ex quo facilius verum elicere possit Judex, sc. à timidiore vel qui tenera aetatis, *L. 18. ff. h. t.* Unde si permixtim mulieres & viri ejusdem arguantur criminis, foemina prius torquenda, *Bocer. d. tr. c. 5. n. 11.* Item prius filius in conspectu patris quaestionibus subjici debet, non tam quod filius sit aetatis tenerioris, quam ob affectum paternum, quem nullus vincit extraneus, *L. 7. C. de Curat. furios. L. 8. S. 3. ff. quod met. causa, Perez. in C. h. t. n. 31 Jodoc. Damboud. c. 37. n. 15. Franc. Casson. tr. de torment. c. 13. n. 4.* Tormentorum varia genera superiora secula excogitarunt, quæ vide apud *Damboud. d. c. 37. & Carpz. in Pr. Crim. P. 3. Q. 117. per tot.* Finis Quaestionis est, ut per eam veritas exploretur, *L. 15. S. 41. ff. d. injur.* Constitutionibus etiam Principum est permissum, ad illuminandam veritatem per tormenta

ta

DE QVAESTIONIBUS.

ta interrogare, ut dicitur in *L. 10. C. h. t.* ne utiqvam verò ut Reus per tormenta interimatur, *L. 8. §. 3. ff. de pæn. Wesenb. h. t. num. 12.* & qvæstionis causâ neminem esse damnandum D. Hadrianus rescripsit in *L. 21. ff. h. t.* Hinc Cicero in *Topic.* ait: Verberibus torti & igne defatigati qvæ dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere; (en finem qvæstionis!) ad hanc enim exquirendam qvæstiones efficacissimæ existimantur, *L. 8. ff. h. t. Zæf. Comm. ff. h. t. n. 61.*

POSITIO X.

Effectus Qvæstionis est triplex, partim Reî crimen negantis absolutio, partim confitentis condemnatio, partim poena Judicis Reum injustè torquentis.

EXPOSITIO.

P Rincipalis Torturæ effectus consistit potissimum in eò, quod Judex fidem qvæstioni habere debeat, *L. 1. §. 23. & 25. ff. h. t.* Cum verò Reus vel neget vel affirmet delictum, proinde primum effectum ponunt Dd. in Reî crimen negantis absolute; Si nimirum accusatus nullis tormentis adigi possit, ut crimen confiteatur, & sic in negando perstiterit, tunc enim indicia contra se militantia elisa purgatave censentur, proindeq; absolvi ac liberatus è carceribus dimitti debet, *L. fin. ff. de calumn. P. S. D. Art. 61. Perez. in C. h. t. num. 29.* nisi accusator crimen sufficientibus testibus probare velit, ad hanc probationem enim ipsum admitti debere, constituit Carolus *Art. 62.* Sed utrum solum ab observatione & instantiâ Judicii, an verò simpliciter & definitive tunc sit absolvendus, dubitant Dd. Prius affirmant *Jac. Menoch. L. 1. de Pres. qv. 93. in fin. Zanger. d. tr. c. 5. Paul. Girland. eod. tr. qv. 2. num. 1. Covarruv. 1. Resol. 1. n. 8.* quibus accedit *Perez. in C. h. t. n. 29. 30.* moti hâc ratione, quod Reus definitive absolutus, postea de eòdem crimine amplius accusari neqveat, *c. 6. extr. de accusat. L. 7. §. 2. ff. eod. cum tamen*

DISPUTATIO INAUGURALIS

tamen postmodum, novis indiciis vel certis & indubitatis probationibus repertis, in vindictam publicam rapi debeat, *L. 51. ff. ad L. Agril.* Verum rectius alii Reum ab ipso crimine definitivè absolvunt, *Ant. Gomez. Tom. 3. Comm. 3. c. 13. num. 28. Fachin. L. 1. Contr. 33. & L. 5. Contr. 16. Bachov. ad Treutl. V. 2. D. 31. th. 5. g. Damhoud. Pr. Crim. c. 40. n. f. Wissenb. Disp. ad ff. 37. th. 12.* tum quod Reus dicatur absolutus in *L. fin. ff. de calumpniat.* Verbum autem absolvere pertinet ad definitivam sententiam, *L. 3. C. de sent. & interl. comm. judic.* tum quod regulariter Actore non probante Reus absolvatur, *L. 4. C. de edend.* Idem pronunciatum & Sanctio Carolina confirmat, (quæ Reum ita absolutum solummodo ad refundendos sumptus obstringit, & per consequens ab omni aliâ penâ liberat, *P. S. D. Art. 61.*) & praxis quotidiana observat, testante *Carpzov. Qu. 125. num. 14.* Nil facit adducta dissentientium ratio; concedimus enim, Reum semel tortum, regulariter ob eandem causam accusari non posse; perdit tamen hæc Regula suum officium, si postmodum Reus absolutus ab aliò accusetur, ignorante accusationem fuisse institutam ab aliò, *L. 7. §. 2. ff. de accusat.* vel criminis nova qualitas deducatur, *L. 4. §. 2. ff. de noxal. action.* quæ istud alterat, *L. 12. ff. de except. rei jud. Damhoud. c. 38. num. 2. 3.* Non aliter autem Reus ex vinculis dimittitur, nisi prius præstiterit *Urphedam*, quæ genus quoddam cautionis habetur, quâ Reus, qui carceribus liberatur, jurat se non ulturum quicquid ibi passus est, *P. S. D. Art. 26. Gail. L. 1. O. 22. num. 1. Zanger. d. tr. c. 5. num. 2. Bocer. c. ult. num. 8.* Quæ verò hæcenus de absolutione dicta sunt, non perpetuò obtinent: Accidit enim aliquando, ut Reo licet neganti & in tormentis constanter perseveranti fides nequaquam habeatur; sed potius adversus ipsum tortura rei tenetur ac denuò repetatur, ut indicant verba *Ord. Crim. Art. 58.* novis scilicet indiciis supervenientibus, & ita accipe *L. 16. ff. h. t.* vide latius *Carpz. Qu. 125.* Et tantum de Rei negantis absolutione. Sequitur alter Quæstionis effectus, qui est damnatio Rei crimen confitentis, *L. 16. C. de pen.* Modò tamen omnia accuratè fuerint observata, quæ ad quæstionem habendam

DE QVAESTIONIBUS.

bendam necessaria esse in præcedentibus ostendimus, utpote quod
 crimen certò sit commissum, Reus ex verisimilibus & legitimis indi-
 ciis tortus, item ejus conditionis fuerit qui torqueri potuit, & quæ-
 stio modò legitimò habita sit: Deinde ut confessio veritati sit con-
 sentanea, quæ ita postmodum etiã reperta fuerit, cum omnibus quali-
 tatibus & circumstantiis. Similiter, ut Reus in confessione perseveret
 eamq; ratificet, *L. 2. C. de custod. Reor. P. H. D. Art. 56.* Per ratificatio-
 nem enim metus torturæ purgatur & confessio renovatur, quam
 non sub ipsis tormentis, sed extra locum torturæ facere debet, ob
 hanc rationem, ut libera videatur illa ratificatio, non coacta, *Zaf. h. t. num. 64. Jodoc. Damhoud. Pr. Crim. c. 39. in fin.* Alia Requisita quo-
 ad ratificationem observanda tradit *Carpz. Pr. Criminal. Qu. 126. n. 20.*
 Ultimus Quæstionis effectus in poenâ Judicis Reum injustè
 torquentis consistit; Stat autem pro Reo præsumptio contra Judi-
 cem, donec contrarium probatum, *Wesenb. h. t. num. 9.* Benè autem
 ponderandum an Judex dolò malò aliquem torturæ subjecerit, (pu-
 ta propter pecuniam, aut inimicitias aliterve corruptus,) & Reus ex
 immoderatâ torturâ fortè mortuus fuerit, hoc casu enim iterum Ju-
 dex capite punitur, *L. 7. §. f. ff. ad L. Jul. repet. L. 1. §. 1. ff. ad L. Cor-
 nel. de Sicar. L. 16. C. h. t. Damhoud. d. l. c. 38. num. 18. Zaf. h. t. num. 62.*
 An verò tantum culpa Judicis arguatur, videl. quod ex indiciis mi-
 nus sufficientibus Reum quæstionibus subjecerit, tunc enim pro mo-
 do culpæ & excessus poena arbitraria in Judicem statuitur, *P. H. D. Art. 61.*
 Ad hanc itaq; consequendam tortus adversus eum habet
 actionem injuriarum, *L. 15. §. 34. 35. ff. de injur. & utilem L. Aquilæ,
 L. 13. pr. ff. ad L. Aquil. respectu enim operarum quibus caruit cariturusq;
 est, & propter impendia in curationem facta ipsum patrimonium
 censetur diminutum, vide *Struv. Exerc. 14. th. 26.* Has autem acti-
 ones Urpheda à Reo præstita non impedit, per illam enim vindi-
 cta tantum privata excluditur neququam publica; hinc & ab ejus-
 modi juramento Reus à Principe vel Camera Imperiali absolvi-
 tur, docente *Gail. L. 1. O. 22. P. H. D. Art. 20. Carpz. Qu. 127. num. 46.*
 Quod si Judex quæstionem habuerit de Reo, legitimò & juris
 præscriptò modò, licet tortus postmodum innocens inveniatur,*

D

atta-

DISP. INAUG. DE QVAESTIONIBUS.

attamen Judex liber erit ab omni poenâ, P. N. D. Art. 61. sibi enim imputet Reus, quod susceptionem de se suam & indicia ad torturam legitima præbuerit, vide Bocer. d. tr. 6. fin. num. 18.

TANTUM.

Nullus potest naturam sic retinere, ut non peccet nihil, hoc enim proprium est solum DEI, Nov. 133. cap. 5.

NOBILISSIMÆ & AMPLISSIMÆ

CTORUM in ALMA LIPSIACA
FACULTATIS

CLARISSIMO ALUMNO

DN. MAYERO

JURIS nunc JURE

LICENTIANDO:

SIC benè patrissas; concessa LICENTIA PATRI
ILLEQUE venturo Tempore DOCTOR erit.
Ecce TIBI dabitur MAYERE LICENTIA JURIS
Quid? quod venturo Tempore DOCTOR eris.
Jus age, DIVINUM GENITOR quâ mente revolvit,
CIVILE exponas, Æmule; ΠΑΝΤΑ ΚΑΛΩΣ.

p. p. q.

ELIAS SIGISMUNDUS Reinhart/

SS. Theol. D. Consistorialis Elect. &

Ducal. Saxon. ac Lips. Superintendens.

Claris-

Clarissimo atqve Præstantissimo
 DN. M. JOH. ULRICO Mäyern/
 J. U. LICENTIANDO;

Fautori, Amico & Filio suo lustrico hono-
 ratissimo, amantissimo.

L Audavit Rhodopen Vates bimaremve Corinthum,
 Mäyere, dotes ingenî
 Laudo fidemqve tuam.

Non opus est hederâ suspensâ, gratior omni
 Natura vinô, suavior
 Nectare & ambrosiâ.


Sidere felici cathedram conscende, tuere
 Thefes tuas, Licentiam
 Ferqve referqve brevi.

Simplicitas rectumqve regant te tempus in omne,
 Sic Patriæ tuæ, DEO
 Sic quoqve gratus eris.

Sic juvat innumeros scire atqve evolvere casus,
 Fugienda semper si fugis,
 Si facienda facis.

Fac tua, quæ tua sunt, quæ non sunt æqva, relinqve,
 Cum Patre clarô fratreqve
 Cresce, diuqve vige!

Omnis




Omnia in ULRICO chari stat cura Parentis,
Omnisque Nati cura stet
Jure in Utroqve, precor!

M. GEORGIUS Cramer/Sch.
Thom. Lips. R. f.



Omnia





X2615893

1077







XLIX. 434.

1668, 10

B. C. D.
DISPUTATIO INAUGURALIS
DE
QUESTIONIBUS
Decreto
Senatus Lipsiensium
SOLICENTIA
Magistros Doctorales consequendi,
solemniter exhibita
à
HENRICO MAYERO,
Lipsiensi.
20. Februarij, A. O. R. M DC LXVIII.
LIPSIÆ
Typis JOHANNIS GEORGII.

